

danda virtus Vestra, ac erga nos sacrumque dilecti Regni Hungariae Diadema debita observantia constantisque animi robur, integra et rara fides ac fidelitas, quam vos Nobis unanimi resolutione obtulisse, eamque hoc periculoso rerum statu ad omnem fortunae casum et eventum contra praetactos immanissimos hostes et ipsos Rebelles ad ultimae sanguinis nostri Guttæ perfusione contestari velle, ex contextu ac tenore Litterarum fidelis nostri nobis sincere dilecti Comitis Bani nostri recenter ad nos datis abunde simul et hilari animo intelleximus. Ut autem sciatis Nos quoque singularem (non obstante arcta illa, qua per Turcas durante adhuc induciarum tempore premitur Civitas Nostra Viennensis) defensionis et conservationis Vestrae curam habere: Ordinavimus praeterea Graecium pro Commendante Militiae Nostrae Campi Mareschalum Locumtenentem Carolum Comitem a Strasoldo, qui habita cum attactis Comite Bano Nostro mutua intelligentia, una vobiscum et legionum ibidem existentium, Metternich, Aspermont et Sarau ac ipsiusmet Strasoldo supplementorum ope et auxilio tum militaria negotia curare, tum vero hostium conatibus se opponere, ac Patriae Vestrae defensionem sollicitè promovere tantisper debeat, usque dum succursus ex sacro nostro Romano Imperio deputatus, et ab aliis etiam Christianis Regibus promissi, imo partim iam etiam adventantes, hostem a praetacta obsidione Viennensi et Successive a cervicibus quoque nostris amovere et repellere possint. Quapropter fidelitates Vestras harum serie benigne hortamur et requirimus, quatenus avitae Virtutis vestrae memores, in fide et fidelitate Nobis et Sacrae iam fati Regni nostri Hungariae debita instar maiorum et Praedecessorum Vestrorum inconcusse imperteriteque persistere et perseverare, conatibus hostium obviare, Machinationes quascunque et insultus ipsos audacter reprimere, simulque Vos et patriam Vestram charissimam ab excursionibus et incinerationibus praeservare, omnia denique ad propulsandum hostem opportuna media curare et adhibere, ac fidelium Regnicolarum et Subditorum Officia sedulo intrepideque praestare velitis ac debeatis; Securi in eo existentes, quod non solum succursu a praedicto Sacro nostro Romano Imperio aliisque Christianis Regibus et Principibus suppeditando propediem Suppetias vobis allaturi, verum constantiam fidemque et heroicam virtutem vestram novis Caesareae et Regiae Gratiae nostrae atque clementiae argumentis uberrime contestaturi sumus. Datum Passavii die 28. Mensis Julii Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Octuagesimo tertio.

Leopoldus m. p.

Ex Protocollo Regni Congregationis A. 1683.